

**2004-04-23 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Praeclarum Evangelizationis’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**PISTULA DATA  
ANGELO S.R.E. CARDINALI SODANO,  
SECRETARIO STATUS,  
ELECTO LEGATO PONTIFICIO  
AD CELEBRANDAM CONCLUSIONEM CONGRESSUS CATHOLICI IN EUROPA MEDIA  
APUD SANCTUARIUM MARIAZELL  
IN AUSTRIA**

*Venerabili Fratri Nostro  
ANGELO S.R.E. Cardinali SODANO  
Secretario Status*

Praeclarum evangelizationis opus, quod inter Mediae Europae populos sancti Cyrillus et Methodius, Adalbertus aliique christiani viri et mulieres per saecula apostolico spiritu permoti quondam perfecerunt, aetate nostra singularem in modum vigescere iterum cernimus. Ab anno praesertim MCMLXXXIX fides catholica novum habuit impulsum apud plurimos homines et populos Europae, quibus bonum, concordia, unitas Europae sunt cordi (cfr *Slavorum Apostoli* 1-2).

Laeto ergo animo novimus proximo mense Maio in pulcherrimo, paeclaro Nobisque sane carissimo Mariano sanctuario Mariazell in Austria peregrinationem habendam esse populis Mediae Europae, praesertim octo ex Nationibus, adstantibus Praesidibus eorum atque sacris Pastoribus, ibidemque ita dictum "catholicorum diem" celebratum iri.

Persussum habemus huiusmodi eventum valde prodesse fidei et unitati illius Europae partis Nationum, quae sunt: Austria, Hungaria, Polonia, Respublica Ceca, Slovakia, Croatia, Slovenia atque Bosnia et Herzegovia. Quamobrem libenter accepimus invitationem Venerabilium Fratrum S.R.E. Cardinalium et Episcoporum, praesidentium Conferentias Episcoporum, necnon Austriae civilium Magistratum. Cum autem illo die Ipsimet illuc accedere non possimus, tibi, Venerabilis Frater Noster, qui magna prudentia et peritia Romani Pontificis cotidiana tam diu curas sustinenda officia pro totius Ecclesiae beneficio, libenter fidenterque singulare hoc munus explendum committere volumnus.

Quapropter harum Litterarum vi *Nostrum Legatum* te nominamus sollemnem ad celebrationem quae in Mariazell diebus XXII et XXIII proximi mensis Maii fiet, occasione ita dictae Populorum Peregrinationis. Nostras igitur vices ages, sollemnibus praesidebis ritibus, Nostram fervidam significabis salutationem cunctis adstantibus, praecipue Praesidibus sacrisque Pastoribus Nationum quas diximus, Nostram omnibus confirmabis benevolentiam, caritatem et spiritalem praesentiam.

Per os tuum insuper cupimus Immaculato Cordi Beatae Virginis Mariae committere futuram condicionem sortemque horum populorum totiusque orbis, eosque vero sollicite hortari ut strenue fidem servent catholicam, Mariam excolant pietatem foveantque erga omnes authenticam christianam caritatem.

Dum precibus comitamus te, Venerabilis Frater Noster, et universos homines ad quos mitteris, Benedictionem Nostram Apostolicam, divinae gratiae auspicem atque ardantis affectus Nostri testem, sacrorum rituum participibus per manus tuas largiter peramanterque impertimus.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XXIII mensis Aprilis, in festo sancti Adalberti, Episcopi Pragensis, anno MMIV, Pontificatus Nostri vicesimo sexto.*

**IOANNES PAULUS PP. II**